

EXstabat apud Nob. Co. de Hondedeis
 P. PISAVRIUS . COL . LIB . ACHILLAS . Recte Cl. Fabrettus Insc. Dom. Cap. VI. n. 17. interpretatur: *Publius PISAVRIUS COLonia LIBerrus*, Achillam hunc, servum publicum antea fuisse docens, deinde publice manumissum Coloniae nomen assumpsisse: multisque rem obscuram pro eâ, quâ pollebat, eruditione, & doctrinâ confirmat exemplis.

IN Columellâ . Vulgavit Fabrettus Insc. Dom. Cap. IX. n. 285. NASVLEI . Hoc est Nasulei uxore, ita enim in vetustis Inscriptionibus viri denotantur, quod & ad Inscriptionem XXXII. observabimus, & luculenter probat Fabrettus Insc. Dom. Cap. I. ad calcem.

BONAE DEAE . Caterorum Numinum, quae coluerunt Pisaurensibus, censui accedat ex hoc marmore Bona Dea.

Periisse hanc Inscriptionem credideram, quum ex insperato nunciatur existere adhuc in Castro Farneti Pisaurensibus Dioceseos.

P. SER . Diu multumque mecum dubitavi, an ita legeretur in marmore, seu potius descriptoris oscitantia Verfennii praenomen P. postpositum nomini fuisset. Sed is, qui Inscriptionem etiamnum superesse edocuit, ita in marmore perspicue legi autumat. Eas ergo notas ita explicandas censeo *Procurator SERvus*, is nempe, qui Verfennii praedia procuraret; neque enim alia satis probabilis interpretatio occurrit.

PRIAPVM . ET . TEMPLVM . Recte, & merito Faustus excitato Templo sibi devinxit, quem vigilem suorum Praediorum Custodem exoptabat.

TEMPLVM . Vides hic servilem ambitionem; Sacellum fortasse extruxerat, Templum vocat. Ita Perspectus in elegantissimo Veteri Epigrammate Tempora Priapo se dicere autumat. Integrum recitare non piget.

*Vilicus arari quondam, nunc pauperis horti,
 Hac tibi Perspectus Tempora, Priape, dico.*

Pro